B 833
H4
CAPILLA ALFONSINA
FONDO [illegible]TERIO
VALVERDE Y TELLEZ
46274

ELEMENTA
PHILOSOPHIAE RATIONALIS
SEU
LOGICAE.

CAPUT I.

De Logicae natura et constitutione.

§ I. QUUM philosophia sit cognitio veri: (H. §. I.) & ad illam cognitionem intellectum praeparet LOGICA: (H §. VII.) definiri ea potest quam optime, quod sit *scientia de invenienda proponendaque veritate* (*). Quid logica.

§. II.—Quamvis enim omnes homines, nisi morbo impediantur, *recta ratione*, id est, facultate ratiocinandi, vel veritates alias ex aliis per necessariam concludendi rationem eliciendi, polleant, (H. § II.) (†) & hinc negari non possit, dari logicam NATURALEM: inde tamen non sequitur, ut ARTIFICIALIS sit negligenda: quia ars naturam perficit, & intellectus non solum Est vel naturalis, vel artificialis.

(*) *Veritatem* autem reperimus vel *meditando*, vel aliorum scripta *legendo*. Ita inventam veritatem eo modo *proponere* docendo scribendoque, ut auditor lectorque de ea convincatur, non adeo proclive est. Verum id quoque docet logica.

(†) Nam & *facultate numerandi* natura gaudet homo, & potentia *saltandi*, *canendi*, *loquendi*, *persuadendi*: nec quisquam tamen dubitat, quin *arithmetica*, *ars* commode *saltandi*, *musica*, *rhetorica*, sint necessariae.

009857

facultate, sed et *promptitudine* ratiocinandi, quin & *methodo* veras falsasque ratiocinationes *discernendi* instructus esse debet.

Ejus finis inventio veritatis demonstrativae & probabilis.

§. III.—Quum itaque verum invenire ac proponere doceat logica, (§ I.) veritas autem vel *certa* sit, vel probabilis: (H. §. II) de utraque sollicitum esse oportet logicum (*).

Logicae utilitas.

§. IV.—Utilitas ergo hujus disciplinae in omni genere eruditionis plane admiranda est. Quem enim alium studiorum omnium finem nobis proponimus, quam ut veritatem inveniamus ac inventam communicemus cum aliis? (†).

Ejus inventores.

§. V.—Hinc illam magna cura olim excoluerunt *Zeno Eleates*, ad quem originem hujus scientiae vulgo referunt, (H. §. LXXXIV. (†) Diog. Laert. *in prooem. Segm* XVIII. & XIX. 25. *Megarici*, (H. §. LXIII.) *Aristoteles*, (H. §. LXXIII) *Stoici*, (H. §. LXXX.) *Epicurei*, (H. §. LXXXVII.) Sed dum plerique horum non tam inveniendae veritatis, quam disserendi disputandique methodum ostenderunt: post tantam messem magnum recentioribus spicilegium superfuit (‡).

Concilium nostrum.

§. VI.—Nos id operam dabimus, ut optima quaevis praecepta, quae vel experiundo didicimus, vel ab aliis tradita accepimus, eo ordine proponamus, qui naturae hujus disciplinae nobis videtur quam convenientissimus (‖).

(*) Nec tamen ideo opus est, ut cum Aristotelicis duas distinctas disciplinas, puta *dialecticam* & *analyticam*, fingamus. Vid. SCHERBII Diss. de different. analyt. et dialect.

(†) Reprehendendi itaque, & procul dubio a posteritate infamia notandi, qui, ut juventutem, olim logicae Aristotelicae tricis justo diutius inhaerentem, ad utiliora revocarent, logicam prorsus inutilem esse clamarunt, eique hoc instrumentum necessarium plane excusserunt e manibus. Sic

Stulti, dum fugiunt vitia, in contraria currunt.

Eam stoliditatem ex instituto refellit Jac. Martini *in dem. Vernunfft-spiegel.*

(‡) Hinc logicae novae, quas tamen parum commendant principia *de dubitatione.* (H. § CX) de fallacibus sensibus & similia. Add. Thomas. *Cautel. circa praecogn. jur. Cap. X* §. *VII sequ.* Dicendum quoque *de Arte cogitandi. Medicina mentis. Specimine ratiocinandi Kufferiano, Logica* Clerici. & libellis similibus.

(‖) Quam commodissimum autem videtur, primo considerare *naturam* INTELLECTUS humani, deinde *naturam* VERITATIS, ac demum, *quomodo* ea INVENIENDA PROPONENDAque sit, disquirere.

CAPUT II.

De natura intellectus humani.

SECT. I.

De intellectus operationibus.

Cur hic de intellectu agendum sit?

§. VII. CIRCA veritatem INTELLECTUS, circa bonum *voluntas* magis occupata est. Quum ergo logica tradat rationem inveniendi proponendique veritatem; (§. I.) facile patet, eam doceri non posse, nisi vires intellectus humani ejusque operationes probe perspectas habeamus.

An dentur ideae innatæ?

§. VIII.—Experientia docet, nos cognitionis omnis expertes in hoc mundi theatrum prodire, (*) & postea nobis adquirere sensim rerum variarum materialium *ideas*, a quibus deinde & conceptus rerum immaterialium *abstrahimus*.

Idearum comparatio.

§. IX.—Eadem experientia nos convincit, infantes, ubi paullatim adolescunt, binas harum idearum, sibi sensione vel abstractione adquisitarum, inter se comparare, ac paullatim eo pervenire, ut & inter tres ideas instituta comparatione, novas veritates reperiant (†).

(*) Quid enim de Platonicorum, Cartesianorum aliorumque *ideis innatis* sentiendum sit, infra in philosophia morali (§ XXIV) exponemus. Qui eas ideas innatas in se tam clare & evidenter sentiunt, exponant mihi velim, cur earum sibi conscii non sint, qui inter feras educati, vel surdi ac muti natura, postea cum hominibus loqui, suasque pristinas cogitationes, si quas habuerint, cum aliis communicare didicerunt. Exempla hujusmodi ex Bern. Connor *Evangelio medici* & *Historia academiae scientiarum anni cIↄ Iↄcc III.* deprompta habes in *Act. Erudit. Lips.* cIↄIↄccvII. *p.* 507.

(†) Sic intellectus se habet, tamquam *arithmeticus.* Quemadmodum enim hac disciplina imbuendus primum numeros simplices comprehendere & eloqui discit per *numerationem*, deinde quo modo bini numeri inter se comparandi sint, per *additionem*, *subtractionem* ac *divisionem*, docetur, ac demum eo pervenit, ut per *regulam de tribus* tres numeros inter se comparare, & ex quantitate nota aliam ignotam elicere sciat: ita intellectus primum ideas simplices percipit, e. g. ideam *lunae*, ideam *lucis*, ideam *solis*, ideam *corporum visibilium*, cet. deinde binas inter se compa-